



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XXX. De Legatis sub conditione relictis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS XXX.

De Legatis sub conditione relictis.

Titius in testamento à se condito legavit Bertæ uxori suæ tria milia fl. si honestè, & castè vixerit; quæ tamen post mortem mariti non tantùm amplexus, & tactus impudicos, admisit, sed etiam semel copulam cum Cajo habuit, cum quo paulò post etiam matrimonium contraxit.

QUÆR. I. An Legatum uxori relictum, si honestè, & castè vixerit, possit in conscientia ab ipsa exigì, & retineri, si occultè fornicata sit; & an ut illud amittatur, sufficiat unica fornicatio, an verò frequentia actuum requiratur?

QUÆR. II. An Legatum sub conditione castè, & honestè vivendi amittatur à femina amplexus virorum, & tactus impudicos admittente?

QUÆR. III. An Legatum conjugi relictum sub conditione castè, & honestè vivendi, amittatur per transitum ad secundas nuptias?

173

AD I. Q. non posse in conscientia dictum Legatum ab uxore exigì, ac retineri, si castitatem violavit, docent Vega in *Summ. tom. 2. c. 32. casu 9.* referens Covar. Navar. Rodriq. aliosque, & Sanch. de matum, l. 6. D. 91. n. 3. & 4. qui plurimis à se citatis sententiam hanc communem pronuntiat, cui favet Auth. *cui relictum C. d. in dicta viduit.* ubi habito sermone de persona, cui relictum est sub conditione non transeundi ad secundas nuptias, & tamen transit, ita statuitur: *Contractis nuptiis res data ven-*

dicari potest, quod sic admittitur, ac si ei relictum, vel ordinatum non esset.

Et ratio est, quia, quamvis regulariter pœna ante Judicis sententiam non obliget, id tamen fallit in pœna à testatore adjecta; quippe quæ statim debetur, & incurritur in foro conscientia nulla expectata Judicis sententia, aut executione, eò quòd nec verè, nec propriè rationem pœnæ iubeat, sed conditio sit, sub qua testator non aliter legare voluit: imò inter hæredem testamentarii, vel legatarium, ac ipsum testa-

testatorem inquit quidam contractus, do, ut des, vel do, ut facias: qui, legatario relicta acceptante firmus redditur, & obligat ad implendam adjectam conditionem, & voluntatem testatoris: Quare sicut in aliis à testatore dispositis, & relictis non desideratur Judicis sententia, ut executioni mandentur, ita neque ad hanc pœnam sustinendam, seu conditionem adimplendam.

Nec refert, inquit cit. Sanch. quod castitatis violatio sit occulta; quia, cum non sit pœna hæc ad forum externum pertinens, non petit delictum probari posse. Præterea deficit relictum ex voluntate testatoris, nolentis legare violanti conditionem, quæ tamen revera violatur, etsi delictum sit occultum. Hæc modò relata verissima quidem sunt, posito, quòd testator id intellexerit de turpitudine etiam occulta; quia illa non est pœna delicti, sed conditio requisita pro legato obtinendo. Verùm an testator sub ea conditione etiam occultam turpitudinem subintellegerit, atque excludere voluerit, non satis liquet, sed dubium est, & controversum.

Et quidem sub prædictis verbis, si castè vixerit, noluisse testatorem excludere turpitudinem occultam, & omninò secretam, sed eam duntaxat, ex qua honor, & fama læditur, intelligendam esse, censent

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

satis probabiliter Palao de spons. D. 4. punc. 13. §. 7. Lugo de F. & J. tom. 2. d. 22. S. 15. Bauny in Theol. mor. tom. 3. l. 2. tr. 9. q. 34. Menchac. de success. progressu, in præf. l. 1. n. 98. Trullench. in Decal. tom. 2. c. 18. dub. 12. Vidal. in Theol. mor. tit. de Legatis inquis. 2. n. 15. aliique. Rationem dant; quia dum fornicatio occulta est, etsi apud Deum inhonesta sit, apud homines tamen castè, & honestè vivere censetur, & testator præsumi debet de honestate visibili, & hominibus apparente locutus esse; aliàs scœmina secretò se polluens incapax esset Legati, quod pro scœminis honestis relictum est. Accedit, quòd rejectio talis Legati sit admissi à se adulterii, aut fornicationis tacita confessio, quam ab illa, quamdiu est ejus crimen occultum, & ignotum, nec ratio, nec quæ cuique innata adversùm se charitas fieri sinit, ut notat, & probat cit. Bauny. Quod.

Confirmatur à Cardin. Lug. l. c. ex casu simili à Molina allato hisce verbis: Molina putat, si macula conjugis acceptæ occulta sit, non debere possessorem se majoratu privare; quia dum vitium illud est ita occultum, perinde se habet in ordine ad Fundatoris intentionem, ac si non esset; cum in rebus honoris, & famæ, quamdiu macula ignoratur, nihil noceat familiæ; quare non præsumitur testator voluisse, quòd possessor eo casu se

Aa pro-

prodat, & majoratum relinquat, quem relinquere non posset, nisi vitium illud prodendo &c.

Quæ sanè responsio verissima mihi videtur, & ex ea probabiliter satis sequi videtur etiam in illo alio casu occultæ fornicationis posse proportionaliter locum habere eandem doctrinam; nam licet non sit in ea omninò eadem ratio (maritus enim non solum intendit honorem, & bonam famam suam, & suæ Uxoris, sed etiam ejus castitatem vidualem) sed tamen magna ex parte intendisse etiam videtur propriam honorem, cui etiam post mortem non parùm noceret uxoris impudicitia, & turpitude: nec præsumitur voluisse, Uxorem cum tanto detrimento obligare ad cedendum usumfructum hæredi prodendo suum delictum, maximè cum hoc ipsum in ipsius mariti defuncti dedecus redundaret: quare, cum eadem ferè rationes pro eo casu militent, ac in illo alio, de quo locutus fuit Molina, idem etiam in eo casu dicendum videtur. Hæc ille.

Ex his duobus sententiis negativa communis est, & utique securior, ac probabilior; affirmativa tamen adhuc satis probabilis est, teste etiam Diana adversario: Unde si quis eam sequi vellet, non esset lethalis culpæ arguendus, nec in foro interno ad Legati restitutionem compellendus. An autem,

stando in sententia prima, Legatum, relictum sub conditione castè, & honestè vivendi, amittatur per unicum tantum fornicationem, rursus dubium, & controversum est inter DD. ubi

Duplicem sententiam refert ¹⁷⁴ Sanch. cit. *D. 91.* negativam unam, requirentem actuum frequentiam, ut Legatum idcirco amittatur, quam sententiam pluribus rationibus ipse confirmat, licet eam ipse absolutè non approbet.

Ratio autem potissima hæc est; quia ex unico actu non denominatur quis inhonestus, sicut non denominatur quis honestus, prodigus, liberalis, sed ad prædictam denominationem actuum frequentia desideratur. 2. Luxuriosè vivere opponitur castè, & honestè vivere: at non dicitur quis luxuriosè vivere ex solo unico actu fornicationis, sed necessariò requiritur habitus, & consuetudo turpiter vivendi: ergo.

Contrariam sententiam affirmantem per unicum fornicationem amitti Legatum amplectuntur, & tenent Bald. in *leg. penult. in princ. num unico, ff. de excusat. tutor.* Covar. 4. *decret. 2. p. c. 6. §. 8.* Navar. *cap. 23. n. 62. & cap. 25. n. 65.* Sylvest. *verb. Legatum 1. q. 5. n. 9. & verb. Legatum, 2. in fin.* Henriq. *l. 13. de excomm. cap. 56.* Præposit. Menoch. Mantica, Vega, Lopez, Palao,

Palao, aliique plures. Moventur
 1. quia qui unicam fornicationem
 committit, inhonestus, & turpis
 est; hæc enim nomina, turpis, a-
 dultus, homicida, raptor &c. de-
 lectum significantia unico actu con-
 tenta sunt, ut constat ex leg. *Athle-
 tas* §. *prævaricatur*, ff. *de his, qui no-
 rantur infamia*. & leg. *si quis sit fugiti-
 vus* ff. *de edilicio edito*. & cap. *fin. de ra-
 ptorib.*: atqui qui turpis, & inhone-
 stus est, castè, & honestè non vi-
 vit: ergo ob unicam fornicationem
 conditio castè vivendi non serva-
 tur. 2. Qui promittunt castè vi-
 vere, ut omnes Religiosi Professio-
 nem facientes, promittunt ab om-
 ni actu turpi abstinere: ergo Te-
 stator petens pro conditione sui
 Legati, ut castè vivas, petit, ut
 ab omni actu turpi te contineas.
 Dein castè vivere, est castitatem
 servare; unica autem fornicatio-
 ne commissa non servatur castitas,
 sed violatur: ergo.

175 Sententia hæc, utpote & à ratio-
 ne, & auctoritate probabilior,
 magis placet, quam probabilio-
 rem & in judicando, ac solvendo
 tenendam esse dicit Palao *D. 4. pun.*
13. §. 7. siquidem fornicatio publi-
 ca sit; nam vidua, cujus fornicatio
 publicè constat, censori nequit
 castè, & honestè vixisse, siquidem
 saltem eo tempore, quo fornicata
 est, inhonestè vixit. Debet tamen,
 inquit, fornicatio publica esse, ut
 Legatum amittatur; quia dum oc-
 culta est, etsi apud Deum inhonesta

sit, apud homines tamen castè, &
 honestè vivere censetur, & Testa-
 tor præsumi debet de honestate vi-
 sibili, & hominibus apparente lo-
 cutus esse, ut supra dictum est.
 Unde

Ad rationem 1. in contrarium
 R. n. parit. nam etsi ex unico actu
 honestatis non denominetur quis
 honestus, potest tamen ex unico
 inhonestatis actu denominari inho-
 nestus, & turpis, quia bonum ex
 integra causa, malum ex quolibet
 defectu, sic si semel homicidium
 commisisti, jam homicida dice-
 ris, si adulterium, adulter, &c.

Ad 2. rationem R. luxuriosè vi-
 vere opponi quidem castè, & ho-
 nestè vivere contrariè, non autem
 contradictoriè, unde stare potest,
 ut quis non castè, & honestè vixe-
 rit, quin vixerit luxuriosè; quia
 ad vitam luxuriosam requiritur fre-
 quentia, seu ut luxuriis abundet:
 at ut quis dicatur non castè, & ho-
 nestè vixisse, sufficit, quòd ali-
 quando à castitate defecerit. Ex
 his patet responsio ad 2. Q. mem-
 brum.

Ad 2. Q. Communis sententia 176
 affirmat amitti Legatum sub con-
 ditione castè, & honestè vivendi
 per amplexus, & tactus impudi-
 cos; quia hujusmodi actus castita-
 ti adversantur, & foeminam inho-
 nestam, & impudicam denomi-
 nant. Ita Bald. *Conf. 207. n. 1. & 2.*
 Aa 2 Covarr.

Covarr. 4. decret. 2. p. c. 7. §. 6. Mantica de conjectur. ultim. volunt. l. 11. tit. 19. Menoch. de præsumpt. l. 5. præsumpt. 41. Graff. Salcedo, aliiq; complures relati à Sanch. citt. D. 91. qui tamen tunc solum censet amitti prædictum Legatum, quando scemina toties in ejusmodi actus labitur, ut arbitrio boni viri possit illa dici impudicè, & inhonestè vivere, secus si unum, alterumve hujusmodi actum lascivum admittat.

Contra verò Navarr. sum. cap. 23. n. 92. sententiam oppositam amplectitur; quia etsi prædicti actus castitati adversentur, cum tamen non plenè, & perfectè, sed inchoativè duntaxat ei opponantur, non denominant sceminam simpliciter impudicam, & Legati incapacem, cui sententiæ favet etiam Palao D. 14. citt. cum Diana sr. 13. R. 9. si solum conscientie forum spectetur; quia cum hæc privatio odiosa sit, non est ultra proprietatem verborum extendenda: atqui verba castè, & honestè vivendi secundum proprietatem sumpta non deficiunt plenè, & perfectè ex hujusmodi actibus libidinosi, seclusa fornicatione, & pollutione, quia in materia luxuriæ non sunt actus consumati, & perfecti: ergo ex illis tantum Legatum amitti non potest; nam ad amittendum Legatum conditionale debet conditio integrè deficere,

Secus censet, si forum externum spectetur, tum ob suspicionem vehementem, quam de se præbet fornicationis, vel pollutionis; tum in poenam turpitudinis commissæ; meritò namque privari à Judice debet Legatò honestè, & castè viventibus relictò, quæ sic turpiter vivit. Hæc Palao, qui distinctionem Sanchezii supra insinuatam nullatenus approbat, sed eam tanquam parum consequentem impugnat; si enim, inquit, unicus actus hujusmodi turpitudinis non sufficit ad excludendam conditionem castæ, & honestæ vitæ, cum tamen unica pollutio, vel fornicatio sufficiat, neque etiam si pluries multiplicetur, sufficiens erit, quippe qui ob multiplicationem non redditur diversus, aut distinctus: ergo si ratione sui non reddit committentem simpliciter inhonestum, & impudicum, quia integrè, & perfectè non est castitati oppositus, sicut pollutio, vel fornicatio; neque etiam multiplicatus reddit committentem simpliciter inhonestum, & impudicum, cum nunquam integrè & perfectè castitati opponatur, sed tantum inchoativè. Nihilominus

Præplacet hinc media via, quam 177 ingreditur citt. Sanch. videlicet, per unum, alterum hujusmodi actum impudicum non amitti prædictum Legatum ob rationem supra insinuatam; amitti verò, si ejusmodi actus lascivi, & impudici

ci frequentes sint, & publici; quia in morali hominum æstimatione talis fœmina non casta audiret, sed impudica, & inhonesta diceretur, & haberetur; nec talem vitam intellexisse credendus est Testator per adjectam conditionem castæ, & honestè vivendi.

178 Ad 3. Q. An Legatum relictum sub hac conditione, si castè, & honestè vixerit, amittatur per transitum ad secundas nuptias? negativè respondent Bart. in *Auth. de non eligendo secundo nubentes*, §. cum igitur. Et leg. ult. in fin. Cod. de indicta viduitat. Abb. Cap. quod à te n. 3. de Cleric. Conjug. Ludov. Molin. t. 1. tr. 2. D. 207. Felin. in cap. si cautio n. 40. de fide instrumentor. Ludov. Lopez, & alii, arbitantes, prædictum Legatum non amitti, nisi fortè ex testatoris voluntate, aut aliunde appareat, illis verbis nuptias excludi, seu castitatem, quæ conjugio inest. Rationem dant; quia secundæ nuptiæ castitati, & honestati non obstant, ex textu expresso in cap. Nicana 31. dist. & leg. mulier. §. cum proponeretur, ff. ad Senatus Consultum Trebellian. ergo per illa verba, si castè, & honestè vixerit, nuptiæ illæ non excluduntur, utpote adhuc castæ & honestæ. Unde S. Thom. 2. 2. q. 152. a. 3. in corp. docet, virginitatem excludere quemcumque actum venereum, etiam licitum; castitatem autem solum illicitum.

179 Altera sententia, eaque proba-

bilior, & magis placens respondet sub distinctione. Et siquidem Legatum sub ea conditione relictum sit à Viro uxori, vel ab ejus filiis, aut consanguineis, vel à filiis, aut nepotibus ipsius conjugis ad secundas nuptias transeuntis, censet secundis nuptiis contractis amitti Legatum. Secus verò si Legatum à quocumque alio extraneo, vel non ita conjunctis relictum fuerit. Ita communiter DD. cum Covarr. l. c. cap. 3. §. 9. Gomez. leg. 14. tauri n. 9. Mantica l. c. Sanch. l. c. Palao l. c. n. 10. Ratio prioris partis est; quia ex personis dicta pensanda sunt, l. fin. in ff. de pactis, & obligat. cum Viris valdè odiosæ sint secundæ nuptiæ uxoris, ut fusè probat Sanch. merito ea verba ex mente proferentis accipienda sunt de omnimoda castitate, & non de sola illa, quæ secundis nuptiis inest, & graviter ipsi Viro infesta est, qui proin eam castitatem postulare præsumitur, quæ Virum decet. 2. Quia per ea verba videtur velle sibi fidem servari, ac jura prioris conjugii inviolata persistere: at secundò nubens non dicitur fidem servare priori conjugii, §. cum igitur paulò ante, vers. si autem *Auth. de non eligendo secundo nub.* ergo. 3. Quia non solum conjugii defuncto, sed etiam ejus filiis, & consanguineis viduæque filiis magni refert, ut ea verba de perfecta castitate, quæ abstinentiam à nuptiis continet, intelligantur, si quidem hac ratio-

A a 3 ne

ne vidua amorem & memoriam sui conjugis conservat, qui secundis nuptiis aboletur; filii verò, & consanguinei, quorum interest prospicere injuriæ inferendæ defuncto, contristantur, tum quia illius memoria perit, tum quia amicitia ex affinitate contracta extinguitur, & transfertur in posterioris conjugis consanguineos. Hæ autem rationes in aliis personis non procedunt, ideoque aliæ personæ dictis verbis solam turpitudinem propriam censendæ sunt voluisse excludere ob rationes prioris sententiæ suprâ insinuatæ.

Si autem secundæ nuptiæ Statum viduæ dedecerent, ejusque conditionem, quia vel est ætatis satis provectæ, vel quia nubit longè inferiori, aut legantis inimico &c. censet probabilis Sanch. l. c. cum pluribus aliis prædictas nuptias exclusas esse per illa verba, si castè, & honestè vixerit, à quocumque ea conditio fuerit apposta; quia illæ nuptiæ, cum viduæ famam denigrent, in communi hominum æstimatione reputantur inhonestæ, & contra mentem testatoris.

CASUS XXXI.

De Legatis piis à testatore in statu peccati mortalis existente institutis &c.

Cùm nuper Murcius testamentum conderet, nihil in eo consanguineis suis reliquit ob graves inimicitias, quæ inter ipsos intercesserant, sed cum prolem non habeat, Hospitale bonorum suorum hæredem instituit; Berthæ verò uxori suæ legat duo millia fl. quamdiu vitam vidualem servaverit. Nunc verò, cum graviter decumbat, Ambrosio Presbytero sua peccata confitetur, atque se Consanguineis suis ignoscere, sed nihil eis legasse, nec quidquam legare velle, quam ob rem Ambrosius dubitat, an Murcius satis dispositus sit ad absolutionem recipiendam. Paulò post moritur Murcius, & Bertha uxor ingreditur Religionem.

QUÆR. I.